

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM
FESTIVALIUM

Disquisitio XIV

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente,

JOHANNES OLPIO

Longo-Salissa Thur.

In Festo Philippi Jacobi.

A. O. R. cl. lcc. III.

HALLIS SAXONUM

Prelo Hæredum Melchioris

Oelschlegell.

V I R I S

*Amplissimis, Consultissimis, per-quam
Reverendis, Clarissimis, eximiâ pietate, sincerâ
religione, summaq; rerum experientiâ
Prestantissimis,*

Dn. GEORGIO JUNGIO, J. U. C.
Reipub. Longo-Salissanæ Consuli Emi-
nentissimo ac Emeritissimo, susceptoris
loco æviternum colendo.

Dn. JOHANNI TREISEN Pastori in Sund-
hausen ut vigilantissimo, ita dignissimo,
Cognato suo parentis loco perpetuâ
animi reverentiâ venerando.

Dn. JOHANNI GEORGIO AURBACHIO
J. U. C. nec non patriæ Republicæ Po-
ligrammateo Spectatissimo.

Dn. CHRISTIANO CALMBERGERO
ad D. Bonifacii hypo-Diacono vigilan-
tiss. fidelissimo, Fautori suo per-magno.

Dn. CASPARI CRAMERO, Lycei, Longo-
Salissæ quod est, Rectori meritissimo,
Præceptorum dignissimo, Fautori ac Pro-
motori suo exoptatissimo.

Dn. ANTONIO Zinckenageln Medic. Pract.
feliciss. affini suo maxime æstimando.

Dn. *Mecænatibus, Fautoribus, Promoto-
ribus ac Evergetis*

has primitias Theol. offert

RESPONDENS.



ANALYSIS
EVANGELII

in Festo

PHILIPPI JACOBI.

Joh 14. v. 1. usq; ad 13.

Πεγοίμιον.



*D*egitur Jud. 14, 8. *Ecce favus mellis destillat ab ore leonis. Christus est ille leo, Apocal. 5, 5. Quid ergò aliud quàm mel destillabit ex labiis ejus? siquidem, uti habet Psaltes Psal. 45, 3. diffusa est gratia in labiis ejus. Et cum ubiq; ferè loquatur non nisi mel merum, potissimum id etiam apparet in pericope Evangelica.*

THESIS I.

In qua habetur tum consolatio, tum informatio: consolatio conjunctim, ubi est

A a

dehor-

dehortatio v. i. In quo tūm est interdictum
 ratione prædicatione turberetur cor vestrum.
 Postquam enim in præcedenti capite prædixit
 suam passionem & mortem, tristissimamq;
 discipulorum sortem, perirebantur discipuli
 dum speraverant in Christi regno honores &
 divitias. Christus igitur eos consolaturus, ac
 animos ipsorum adversus scandalum præmu-
 niturus, subjicit ab initio hujus capituli, ne tur-
 betur cor vestrum, h. e. ne committite, ut tur-
 betur, & per immoderatum timoris affectum
 fiducia in Deum excutiatur; siquidem hoc
 carnis nostra est ingenium, quando concionem
 crucis audimus, terremur; quando pondere
 crucis premimur, mœremur, ac si à facie Dei
 abjecti simus, Plal. 13, 3. & 31. 23. Ut discamus
 sustinere perturbationes, Quod enim Christus
 discipulis dicit, id nobis omnibus dicit, Marc.
 13, 33. Ipse quidem etiam se fatetur turbatum,
 Joh. 12, 27. quoad affectus naturales, qui tamē
 fuerunt ab omni peccati labe immunes & libe-
 ri, ut ait Evagrius lib. 4. c. 39 sed nostri sunt in-
 ordinati & immoderati, peccatisq; contamina-
 ti. Hoc igitur vult curare ut optimus medicus,
 Matth. 9, 12. Unde Cyrillus libr. 9. c. 29. in
 Joh. Christus animi vulnera prævenire auxi-
 lio & remedio suo solet; ut cuius officium con-
 solari,

solari, Esa. 50, 4. Matth. 11, 4. *Ut discamus pusillanimes aequè consolari*, 1. Thess. 5, 14.

2. Tum & fundamentum ab ipsa fiducia desumptum, cujus antecedens: creditis in Deum. *Quae verba quidam per imperativum interpretantur*, Hilar. lib. 9. de Trinitate. Cyrillus lib. 9. c. 30. *sed melius indicativè; quemadmodum etiam alibi*, 1. Corinth. 3, 18. *ut sit αιτιολογικῶς generali propositioni ratio subiecta; quasi diceret non estis ex numero impiorum*, Eph. 4, 19. *sed creditis in Deum; aut ut Syriaca versio habet per interrogationem, quae fortius stringit. Ut discamus omnis consolationis fundamentum esse fidem seu fiduciam in Deum secundum Psal. 89, 19.*

3. Consequens: & in me creditis. *Quasi ita concluderet; si creditis in Deum, & & in me creditis; Atqui creditis in Deum: E. & in me. Quae fides, ut loquitur Cyrillus d. 1. est latus clypeus, qui telis hostium frangi non potest, ne nimium trepidando turbetur cor vestrum. Ratio autem conseq. est à relato, quia Christus inquit, ego & pater unum sumus, Joh. 10, 30. E. creditis vel credite etiam (imperative) divinitatem meam: 1. agnoscendo. 2. verbis & promissionibus meis fidem adhibendo; hoc enim fides requirit. 3. fiduciam*

cordis in me ponendo tanquam in mediato-
rem. Non inquit, habet Cyrill. d. l. in filium
simpliciter, sed in me incarnatum, & in Spiri-
tum S. Ut discamus Christum esse verum De-
um, quia Deo soli confidendum, & in eum cre-
dendum, Jerem. 17, 5. Unde & Augustinus
tract. 67. in Johan. ita consequens est, ut si in
Deum creditis, & in me credere debeatis.
Quod non esset consequens, si Christus non es-
set Deus. Credite in Deum, & in eum credite,
cui natura est non rapina esse equalia Deo.
Semetipsum enim exinanivit, non tamen for-
mam Dei amittens, sed servi formam.

4 Distinctum est ratio, partim ab effe-
ctu, & est partim cœlestis habitatio v. 2. In
quo declaratio à subjecto: in domo patris
mei. Id est, in cœlo, quod per domum patris in-
telligitur. Jer. 23, 24. aliàs Deus nullibi inclu-
sus. Ut per hanc domum non locus habitationis
certa, secundùm Theophyl. intelligatur, sed
omnipotentia & imperii Dei infinitas; potissi-
mum tamen, uti dictum, gloria aeternæ felicitatis.
Unde & habitaculum sanctitatis vocatur,
Deut. 26, 15. civitas sancta, Apoc. 21, 2. civi-
tas Dei viventis, Ebr. 11, 22. horreum DEI,
Matth. 3, 12. Hierosolyma cœlestis, Ebr. 12, 22.
Templum Dei, Apocal. 3, 12. sacrarium, Ebr.
9, 12.

9. 12. propter 1. familiarem DEI cum beatis conversationem, Psalm. 2, 4. 2. propter perfectam Dei visionem, 1. Corinth. 13, 12. 3. propter quietam habitationem, Psalm. 91, 1. 4. propter speciosam exornationem, Apoc. 21, 18. 5. propter filiorum Dei congregationem, Eph. 2, 19. & deniq; propter typi praefigurationem, 1. Pet. 2, 5. Et non simpliciter vocat domum Dei, sed Patris, ut confirmet promissionis suae certitudinem, innuens se facile posse impetrare quodcumq; voluerit, cum sit filius in hac domo, Ebr. 3, 6.

5. Et à numero : mansiones multae sunt. Quia in hoc mundo non habemus manentem civitatem, Ebr. 13, 14. Ideoq; in caelo habemus mansiones, Phil. 3, 20. Dominus autem habet Cyrillus humano more loquens de caelestibus, per multitudinem significavit amplam caeli capacitatem. Et mansiones ibi sunt non tantum beatorum, sed etiam Angelorum. Unde Irenaeus inquit lib. 3. c. 21. multae mansiones apud patrem sunt, quia & multa membra in corpore. Isidorus lib. 1. ep. 65. Illic vera mansio est : nam praesens vita tentorium vile est, quod simul ac compactum & factum est, eodem temporis puncto solvitur. Hic peregrinamur, 2. Corinth. 5, 6. Psalm. 39, 13. Hic domus

lutea, Job. 4, 19. domus terrestris, 2. Cor. 5, 10.
 Illic domus aeterna, 2. Corinth. 5, 1. Ergò non
 timeamus.

6. Et præparatio per exceptionem,
 cujus antecedens: quod si secus esset. Hoc
 est, si aliter se haberet, & non essent in domo
 cœlesti mansiones multe, uti Cyrillus lib. 9.
 c. 31. explanat in Johan. Et Syrus ait: &
 si non.

7. Consequens: dixissem vobis. Ubi
 separatur per comma à sequentibus: Ideoq;
 idem denotatur, ac si dixisset, non lætabo vos
 inani spe. Nullam enim hætenus de promissio-
 nibus meis dubitandi causam habuistis. Ergò
 & hoc credite. Ut discamus Christum de vera
 salutis via Apostolos sufficienter informasse.

8. Et per assertionem à causa finali:
 vado paraturus vobis locum. Quanquam
 enim mansiones istæ paratæ ab æterno, Matth.
 25, 34. Christus tamen vadit preparare passio-
 ne & morte. Joh. 3, 13. resurrectione & ascen-
 sione; Spiritus S. donatione & intercessione,
 Rom. 8, 34. Nam sicut elegit nos ante jacta
 fundamenta prædestinando, Eph. 1, 4. ita man-
 siones preparavit prædestinando & operando.
 Atq; ita asseverantur ista, quæ à Christo dicta
 sunt, ut ostendat causam finalem sui ad Patrem
 abitus.

abitus, quia non nisi per Christum ingredimur
 coelum, uti & Joh. 16, 17. idem affirmat. Ut di-
 scamus Christum esse salutis nostrae consumma-
 torem, Ebr. 5, 9. Non autem vadit, ut relin-
 quat nos orphanos, Joh. 14, 18. sed ut paret lo-
 cum. Quid ergo est quod vadis? ait August.
 Tract. 68. in Johan. quid est quod venis? si te
 lone intelligo, nec unde vadis nec unde venis,
 recedis: vadis latendo, venis apparendo: sed
 nisi maneat regendo, ut proficiamus bene vi-
 vendo, quomodo parabis locum ubi manere
 possumus?

9. Partim est glorificatio v. 3. In quo
 est pollicitatio, quoad antecedens, tum de
 abitu, de modo: & si abiero. *Quae verba Sy-
 riaca versio omittit; verum retinenda sunt;*
vocabulum εὐν non conditionaliter, sed asserti-
tivè pro ἐπειδὴ cum, postquam, sumendum,
 Joh. 13, 20. Joh. 16, 7. Ut sit sensus postquam
 profectus fuero tum per mortem, tum per ascen-
 sionem. Ut consolationi sit, fore quo abeat.

10. Tum de loco ab effectu: & para-
 vero vobis locum. Vti in antecedente pro-
 misit, ad hereditatem coelestem ad eundam.

11. Consequens est de reditu: iterum
 veniam. Hoc est, etiamsi proficiscor, tamen
 non relinquam vos, sed vobis adero. Atq; ita

in cœteri discipulorum ex prædictione abitus in
 animis ipsorum oborto opponitur consolatio &
 promissio de reditu. Id, quod etiam præstitit post
 resurrectionem, ubi eos consolatus per præsen-
 tia sua promissionem, dum dominatur in me-
 dio inimicorum, Psalm, 110, 3. ambulat in me-
 dio candelabrorum, Apoc. 1, 13. h. e. in Ecclesia,
 In medio in nomine Christi congregatorum,
 Matth. 18, 20. Vt discamus Christum semper
 presentem.

12. Et ad se translatio, cuius modus :
 & accipiam vos ad me ipsum. Potuissent
 enim Apostoli cogitare. sint multe mansiones in
 domo patris; sint loca parata, & revertatur
 etiam sed quomodo nos pervenimus ad illa?
 Respondet ergo Christus: assumam vos ad me
 ipsum, ut turbationem de discipulorum cordi-
 bus tolleret. Unde Simon de Cassia lib. 12.
 c. 1. ut omninò turbatio de discipulorum cordi-
 bus tolleretur, & ne impossibile ducerent in su-
 perna posse conscendere, ad illam preparatio-
 nem, quam pollicebatur Christus, post disces-
 sum se reversurum promisit ad accipiendum
 eos in illis mansionibus iam paratis, ad quas per
 eos esse non potuisset ascensus.

13. Et locus per causam finalem & glo-
 riæ communionem: ut, ubi ego sum, ibi &
 vos

vos sitis. Est q̄, consequens promissa ad se assumptionis, quemadmodum hoc omnibus suis discipulis ac ministris antea promiserat, Ioh. 12, 26. Et pro eis patrem sollicitarat, Ioh. 17, 24. certo tamen respectu quoad letitiam & gloriam cœlestem, quoad consortiū Rom. 8, 17. Nam distinguendū inter thronum Patris, in quem Christus euectus est; & inter thronum Christi, in quem fideles collocandi, uti id futurū est in novissimo die, ubi erimus cum ipso semper, 1. Th. 4, 17. Et quemadmodum pii in hac vita Christum fide assumunt, Ioh. 1, 11. ita etiam Christus nos vicissim in die iudicii assumet, Ebr. 12, 27. ubi erimus cum Christo, Phil. 1, 24. 2. Corinth. 5, 8.

14. Et ab accidente, ubi est viæ cognitio v. 4. In quo respectu termini: & quo ego abeam, scitis. Quasi dicat, non est quod hoc nomine perturbemini: scitis quo abeam, videlicet ad patrem meum, & in gloriam meam, Luc. 24, 20. Atq̄, ita per prolepsin in memoriam revocat, qua toties de cœlesti regno, de abitu suo ad patrem proposuerat, Matth. 16, 21. Non quod perfectè scirent, sed quòd deberent scire, prout apud Ebraeos verba quandoq̄ non actum, sed officium denotant, Psal. 22, 18. Prov. 20, 9. Inde Chrysostr. hom. 72. in Iohan.

Noverant quidem, sed non ita ut oportebat. Etiam ex parte sciebant, dum audierant vocem patris cœlestis, Matth. 13, 17. viderant gloriam ejus, & crediderant in eum, Ioh. 2, 11. sed Apostoli doctrinam in quodam generali & confuso acceperant, habet Lyra, determinatè verò nesciebant.

15. Respectu modi: & viam scitis. Nempe per passionem & mortem, uti prædixerat Ioh. 6, 62. Idq̄, verò tantum in thesi & in genere sed non in hypothesis, nō determinatè, nō formaliter & in specie: imò sciebant, sed se scire nesciebant. Ut discatur Christi in docendo fidelitas. Instruit ergò Apostolos de termino quo, & via, qua abit. Duo enim imprimis sunt scitis necessaria, unum quo Christus post mortem abierit, alterum quâ viâ abierit.

16. Partim est informatio quoad Thomam, cujus antecedens est interrogatio v. 5. In quo causa efficiens; dixit ei Thomas. Ut qui aliàs rudior ac timidior, Ioh. 20, 24. Fovebant enim Apostoli suavia somnia de terreno Messia regno; quare cum audirent Christum dicere de abitu, jam arbitrabantur splendidum palatium iri paratum; ideoq̄, quaerit nomine reliquorum.

17. Et forma, in qua tum appellatio;
Domi-

Domine. Quo ipso verum Deum confitetur:
Siquidem quando vox Domini in N. T. ab-
solute ponitur, Deum summum denotat.

18. Tum declaratio in genere; nescimus.
Atq; ita ingenuè suam ignorantiam confite-
tur, loquiturq; in plurali, ut omnes includat.
Ut discamus memoria humana labilitatem:
versamur enim in terra oblivionis; & piorum
ingenuitatem dum Thomas non dissimulat; si-
quidem melius est fidelis ignorantia, Augusti-
no asserente ser. 22. de Apost. quàm temera-
ria scientia: & ignorantiam suam confiteri est
pulchra temperantia, habet idem Aug. lib. 5.
de conf. c. 7.

19. In specie de termino: quo vadis.
Videtur verò hac interpellatio orta à vehe-
menti desiderio dicente Chrysofostomo, ut ter-
minum sciret sive locum.

20. Et de modo: quomodo possumus
viam scire? Ut ita nō absolute dicat, sed ut ar-
gumentum à minori ad majus includat. Quasi
dicat nos terminum itineris ignoramus, quo-
modo viam scire possumus? Si illud, à quo alte-
rius scientia dependet, nescimus, multo magis
illud, quod ex alterius cognitione resultat, ne-
scimus. Ut discamus neminem scire veram in-
coelum viam, nisi per Christum, Eph. 5, 8.

21. Et

21. Et Christi tum relatio v. 6. In quo allegoriam, & monstrat, directè, summam respectu humanitatis & officii mediatorii: dixit ei Jesus: ego sum via. Quia enim Thomas conquerebatur, se nescire & via terminum & viam, respondet Christus: ego ipse sum via, per quam vobis eundum, ut me possitis sequi. & ad patrem mecum in cælum venire. Frustra ergo circumspicitis vias alias: ego ipse sum unica illa via, extra quam & præter quam non datur alia. Est autem Christus via, 1. docendo, quia docuit verbum veritatis, Coloss. 1, 5 patrem revelavit, Joh. 1, 18. 2. promerendo, quia per proprium sanguinem introivit in sancta, Hebr. 1, 12. est perruptor, Mich 2, 13. 3. deniq; est via applicando, per verbum suum in quo notas fecit semitas vite, Psal. 16, 11. semitas iustitie, Psalm. 23, 3 ut ita dicatur & respectu sui ipsius via. Ibat enim Christus ad seipsum, per seipsum, ait Augustin. tract. 69. in Johan. & respectu aliorum. Nos enim quo imus nisi per ipsum? ait August. dicto 1. Ergo via est ratione ad apertionis, dum (cala paradisi fracta in Adamo, reparata autem in Christo, habet Bonaventura. 2. ratione præmonstrationis, ut qui reliquit nobis exemplum, quo sequamur vestigia eius, 1. Petr. 1, 21.

3. ratione deductionis, dum dirigit pedes nostros, Luc. 1, 79. 4. ratione introductionis, dum per ipsum transimus in vitam, Johan. 5, 24. Ut discamus non aliam viam querere.

22. Sigillatim respectu divinæ naturæ, tum quoad medium: & veritas. Essentialis nimirum, ut ostendit articulus prepositivus, non tantum ratione sui, h. e. cum Patre & Spiritu S. verus Deus, atq; ita essentialis, 1. Ioh. 5, 20. sed etiam ratione nostri in complendo, quia omnia in eo vaticinia sunt completa, Act. 3, 21. Ioh. 1, 17. 2. Corinth. 1, 20. 2. in promittendo, quicquid enim promittit, illud prestat, Ioh. 17, 17. Et tandem in operando, quia nos in omnem veritatem ducit, Ioh. 16, 13. Si Christus ergo est veritas, inquit Augustinus Tract. 45. in Iohan. huic uni & soli credamus.

23. Tum quoad terminum: & vita. Quia per eum ad veram vitam pervenitur, Ioh. 8, 12. Vita ergo ita dicitur & respectu sui, quia essentialiter est ipsa vita, Ioh. 1, 4. & respectu nostri, dum vita est creando & conservando, Act. 17, 28. regenerando & sanctificando, Ioh. 3, 5. resuscitando & glorificando, Ioh. 11, 25. Unde Bernh. serm. 2. de ascens. Dom. est via in exemplo, veritas in promisso, vita in
pre-

præmio. Et Leo serm. 18. de pass. Dom. c. 3.
*Christus est via in forma conversationis iusta,
 veritas in expectatione rei certa, vita vero in
 perceptione felicitatis æternæ. Est via inobli-
 quabilis, veritas ineffabilis, vita impercurba-
 bilis. Est via recta, veritas grata, vita beata.
 Via morum, veritas sciendorum, vita præmio-
 rum, ait Cassia lib. 12. c. 1.*

24. Et probat ab officio mediatorio:
 nemo venit ad patrem nisi per me. Hoc est
 per me solum ad patrem pervenitur. Ergo so-
 lus sum via, solus veritas, solus vita: Ratione
 nimirum 1. agnitionis, quia nemo novit pa-
 trem nisi filius, Math. 11, 26. uti verbum
 ἐγχεομαι usurpatur, 1. Timoth. 2, 4. 2. Ratione
 reconciliationis sum unicum propitiatorium
 Rom 3, 25. 2. Ratione intercessionis, Rom.
 8, 34. 4. Ratione vocationis, Ioh. 10, 7. Et
 tandem ratione glorificationis, Rom. 6, 23.
 Dum autem exclusiva preponitur, monet de
 patris et filii æqualitate, uti habet h. l. Theo-
 phyl. de nostra imbecillitate, quod non nisi
 per ipsum ad patrem pervenire queamus,
 Ebr. 10, 19.

25. Et cognitionis testificatio v. 7. In
 quo suppositio, cujus antecedens: si cogno-
 vissetis me. Dum enim Thomas ex ignoran-
 tia

etiam termini argumentum duxit ad ignorantiam via, Christus contrario modo ostendit ex notitia via pendere etiam notitiam termini.

26. Consequens : & patrem meum cognovissetis utique. Discipuli enim persuasi erant, se Christum probe cognoscere : Ideoq; ostendit falsum, quia filius non potest perfecte cognosci sive de essentia vel voluntatis cognitione agatur, ut non agnoscatur simul pater, quippe qui cum patre est unum, Ioh. 10, 30.

27. Et assertio per subsumptionem à modo : cognoscitis & vidistis eum. Nimirum Patrem ; non quidem visione corporali primario, sed mentali ; Neq; enim verbum in futuro legendum, sed, uti omnes codices, in presenti, quemadmodum & Syrus reddidit. Et phrasís αὐτῷ ἀπὸ πρὸς nunc usurpatur, uti & Joh. 13, 19. Voluit enim Christus monstrare Apostolos non rectè conqueri, quòd nec viam, nec terminum sciant ; cùm non possint negare quòd Christum sciant, ergò & Patrem. Neq; tamen visio corporalis, quam innuit verbum ἐρεῖω, planè excluditur ; quia viderunt patrem in doctrina, & in Christi persona, non consummative, sed inchoative. Unde Origenes homil. I. in Gen. inquit : sicut is, qui viderit imaginem alicujus, videt eum, cujus est imago : sic
per

per filium, qui D E I est imago, Deum quis videt.

28. Tum est interrogatio Philippi, ubi est ejusdem desiderii declaratio v. 8 In quo præmittitur honorifica appellatio: dicit enim ei Philippus: Domine. Dum enim Christus dixit, si cognovissetis me, & meum patrem utiq; cognovissetis. Et nunc cognoscitis & vidistis eum. Id mirum videbatur Philippo, qui non meminerat se unquam vidisse patrem; Ideoq; in hac prorumpit verba ex stupiditate & ignorantia. Quod enim Christus potissimum de spiritali cognitione & visione dixerat ipse de noticia & visione corporali primario intelligit propter imbecillitatem mentis nostre, Eph. 4. 18. Dominum verò vocat, tum quia præceptorem agnoscebat, tum quia videbat ipsum dominari creaturis, vento & mari, Matth. 8, 26. piscibus Luc. 5. 6. ut sit captatio q. benevolentie. Quo discamus honorificè superiores compellare.

29. Et exponitur tum ipsa petitio: ostende nobis patrem. Atq; ita ipse non solum, sed nomine reliquorum, uti ante Thomas hoc ipsum petiit. Quasi diceret, te quidem cognovimus & vidimus, sed quia dixisti nos etiam Patrem cognoscere & videre, ideo ostende no-

de nobis. Verbum enim *deixvopi* de corporali ostensione ut plurimum usurpatur, Matth. 8, 4. Marc. 14, 15. Inde Tertull. contra Praxeā c. 24. Philippus Patrem videre desiderabat quasi visibilem.

30. Tum petitionis ratio : & sufficit nobis. Atq; ita in Philippo erat bona concupiscentia, habet August. Tract. 14. in Johan. bonum desiderium, sed pravus intellectus, ut sic quaedam sint laudabilia à Spiritu profecta, dum Christum vocat Dominum, dum Christo hanc gloriam tribuit, quòd solus Patrem ostendere possit, dum patris agnitionem omnibus praefert. Inde Cyrillus lib. 9. in Joh. c. 36. Studiosus quidem fuit Philippus, sed non adeò acutus, ut commodè & aptè, quæ sit Dei visio, posset intelligere. Deus enim inhabitat lucem inaccessam, 1. Timoth. 6, 16. carnalibus oculis videri non potest, Deut. 4, 12. Joh. 5, 35. Ideoq; Deum tantum videmus ordinariè in operibus, Rom. 1, 20. in verbo, Joh. 1, 18. in Filio, in altera verò vita videbimus, sicuti est, 1. Ioh. 3, 2. ut rectè dixerit Philippus quod sufficiat, & sufficientia nostra sit Dei visio secundum Psal. 17, 15.

31. Tum Christi sufficiens per respon- sionem partim informatio, cujus proponi-

tur antecedens propositio v. 9. in quo eb-
jurgatio per interrogationem amicam, re-
spectu temporis : dixit ei Iesus, tantum
tempus vobiscum sum. *Hoc est, per trienni-
um integrum, & quod excurrit, in schola mea
informati; siquidem Christus ab eo ipso tem-
pore, quo vocavit illos in societatem & collegi-
um suum, semper docuit. Ut discamus non
tempus sufficere ad eruditionem, quamvis re-
quiratur, sed temporis usurpationem.*

32. Et respectu subjecti : & non co-
gnovistis me? Philippe. *Videbatur quidem
interrogandum & non vidistis patrem? quia
Philippus patrem sibi ostendere petierat; sed
respondit Christus, & non cognovistis me. Ut
indicet nondum satis cognoscere etiam ipsum
Christum, cum per filium sit cognoscendus, &
quidem fide & verbo, non oculis corporeis in
hac vita videndus, Matth. 11, 27. Luc. 10, 22.
Ioh. 6, 40. Vocativum Philippe Irenæus lib.
3. c. 13. conjungit cum sequentibus, sed Tertul-
lianus contra Praxeam: Chrysostronus, Au-
gustinus, Cyrillus, Theophylactus & alii
conjungunt cum precedentibus; cum ille in-
terrogavit, Christus vicissim interrogavit. Ideo
autem, habet Augustinus Tract. 70. in Ioh.
discipulum magister arguebat, quoniam cor-
postu-*

postulantis videbat. Tanquam enim melior
 esset pater quam filius, ita Philippus patrem
 scire cupiebat, & ideò nec filium sciebat, quo
 melius esse aliquid credebat. Ut discamus
 omninò redarguendos esse eos, qui longo tempo-
 re verbum Christi audiverunt, & in Christia-
 nismo verè consenuerunt, & tamen in vera &
 salutari cognitione parum profecerunt semper
 discentes, & nunquam ad scientiam veritatis
 pervenientes; 2. Tim. 3. 7. puerilis verò mentis
 est, habet Basil. lib. 20. de Spiritu S. c. 14. &
 pueri revera lactis indigentis ignorare magnū
 salutis nostræ mysterium.

33. Et ratiocinatio, cujus assertio ab
 unitate essentiæ: qui vidit me, vidit patrem.
 Non quòd ipse sit pater, qui filius, sicut notat
 Augustin. Tract. 60. in Ioh. sed quòd in pa-
 tris similitudine in nullo prorsus discrepet fili-
 us. Ubi per tò videre cognitio intelligitur, uti
 monet Athanasius lib. 1. de Trinit. ut non sit
 intelligendum de visione corporali, sed spiritu-
 ali & intellectuali, ex lumine gratiæ orta. Est
 enim Filius character persona Patris, Ebr. 1. 3.
 imago Dei inconspicui, Col. 1. 15. imago verò
 ista virtus est, habet Ambros. lib. de fide c. 2.
 Ut discamus unitatem essentiæ Filii & Patris.

34. Et applicatio: & quomodo tu di-

Bb 2

cis

cis, ostende nobis patrem? Hoc est, nolo ut alibi quàm in me queras patrem. Ego enim eo fine in mundum veni, ut patrem vobis revelarem. Ergò non est quod ad immediatam patris visionem aspiret. Videtur enim Pater in Filio ratione, uti dictum, unius essentia, ratione sapientia, potentia reliquarumq³ proprietatum. Ut discamus nec Patrem sine Filio, nec Filium sine Patre cognosci.

35. Et confirmatio v. 10. in quo ineffabilis inhabitatio, quoad verba à relatione mutua: Non credis, quia ego in Patre & Pater in me est? Secundum essentia unitatem, non persona singularitatem, & secundum identitatem substantia. Propriè enim & accuratè loquendo nihil in seipso esse potest, & quæ diversam habent naturam, eorum unum non potest ita dici esse in altero, ut viso eorum uno, videatur & alterum. Unde Chrylost. hom. 76. in Ioh. si alterius esset substantia, minimè hoc dixisset. Et Ambros. in 2. Cor. 7. Pater intelligitur inesse filio, quod una eorū sit substantia. Ibi enim est unitas, ubi nulla est differentia. Nec enim dicit, ego & pater, Ioh. 10, 30. unum volumus & sentimus, sed unum sumus, quoad sc. divinitatem, quæ semper mansit in patre & in sinu patris, Ioh. 1, 18.

36. Et

36. Et ab eadem doctrina: verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Hoc est, uti interpretatur Tertull. lib. adversus Prax. c. 24. verba non sunt mea, quæ ego loquor, quia patris. Doctrinam enim Evangelicam non ex seipso proposuit, neq; Prophetarum more ex revelatione divina accepit, sed è sinu & pectore patris cœlestis protulit. Ut discamus esse omnino concludendum eandem esse essentiam, dum, quæ verba pater tradidit ipsi, etiam tradidit aliis, Joh. 17, 8. docuitq; potestatem habens, Luc. 4, 22.

37. Quoad facta: at pater in me manens ipse facit opera. Ubi à posteriori ad prius per demonstrationem progreditur, quasi diceret, exponente Chrysoft. hom. 73. in Joh. nequaquam aliter facit pater, aliter ego. Discipuli doctrinam Christi auribus percipiebant, ac divinam ejusdem vim in cordibus sentiebant, insuper etiam miracula conspiciebant. Ex illo igitur effecto Apostolis noto & concesso demonstrat essentia unitatem, ut si nolint verba, tamè facta respiciant, ut & Joh. 5, 19. habetur.

Non verò dicit Christus Deus in me manens facit opera sed Pater in me manens: Ut enim Deus loquutus est per prophetas, ita pater per filium, ait Cyrillus, potissimum quia manet in

ipso per inseparabilem immanentiam: qua intelligenda sunt secundum opera miraculosa, in quibus aequè Pater & Spiritus S. operatur ac ipse filius, ubi juxta divinitatem & humanitatem ista sunt intelligenda in operibus ad extra. Unde Hilarius lib. 7. de Trin. manere in filio & patre non est singularis unici, operari per filium non est differentis aut exteri. Atq; sic per filium pater videtur in factis, & auditur in verbis, & cognoscitur in filio verba & facta patris administrante.

38. Et consequens, ubi est conclusio sive illatio v. II. in quo per repetitionem rationis, quoad verba: credite mihi, quòd ego in patre, & pater in me. Concludit ergò per imperativum, uti & Syrus interpretatur, & ex allegato loco Joh. 10, 17. colligitur. Atq; ita postquam Christus ad solum Philippum hætenus sermonem dirigere visus fuerat, in genere ad omnes discipulos se convertit; & quia discipulorum tarditas, quam Philippus in sua petitione demonstraverat, omnibus communis erat: Ideoq; quod hætenus uni dixerat, jam omnibus inculcat, & ab ipsis requirit, ut factorum evidentia convicti credant Patrem esse in filio, & filium in patre, ac proinde etiam viso filio patrem videant.

39. Quo-

39. Quoad facta, ex collatione imparium ab effectis propriis: si autem non; propter opera credite mihi. *Quasi diceret, si mihi simpliciter affirmanti non creditis, respicite tantum opera mea, & ex his colligetis esse merè divina. Nec enim, inquit August. tract. 71. in Joh. si separati essemus, inseparabiliter operari ulla ratione possemus. Quia enim opera magis in sensus incurrunt, & apud incredulos majorem vim ad persuadendum obtinent quàm verba: ideoq; argumentum ab operibus ductum denuò iis inculcat. Ut discamus Christi humanitatem. Quamvis enim ipsa veritas, & equum fuisset ipsi fidem adhibere, tamen etiam miracula & opera adducit.*

N O T A.

I.

Non turbetur cor vestrum) Considera Christum hortari, ne turbentur discipuli; ut discas vera fide & pietate constantem nullam habere causam tristitia.

II.

In domo patris mei mansiones multæ (sunt) Considera in cælo esse mansiones; ut discas petere cælum, cum hic mansio nulla.

Vado

Vado parare vobis locum) Considera Christum parasse nobis cœlestem sedem; ut discas sine Christo ad cœlum te pervenire non posse.

C A S U S.

An filius idem dici possit cum patre?

Non videtur: 1. quia filius distincta persona à patre.

2. Quia filius sub potestate patris l. 3. ff. de iis, qui sunt sui.

Videtur: 1. Quia hic Christus dicit: ego & pater unum sumus, ratione nimirum essentia.

2. Quia & jura dicunt quodammodo esse filium eundem cum patre §. fin. l. de hæred. qualit. & diff. l. II. ff. de lib. & posth. etiam vivis parentibus domini habentur. 3. Sunt partes patris, Arist. lib. Eth. c. 6. & I. M. M. c. 34. l. cū scimus. §. fin. ff. de agric. & cens. habetur q̄ filius cum patre pro eadem persona l. fin. C. de impub. & filius regis rectè dicitur rex gloss. in c. Adrian. super verb. August. 63. dist. in c. fi. 24. q. 1.

Ad contraria: 1. Fall. sec. quid: dum alia quidem persona patris, alia filii, interim, convenire possunt.

Ad 2. Est in humanis & divinis ratione ordinis, non essentia & potestatis.

Ulpica sunt ea, quae nobis ingrata videntur.

Quantumvis ea sint o[mn]ia, saepe tamen.

Aequè discipulis abitum dum dixit Iesus,

Omne videbatur; qui benedictus erat.

Discipulis ait hinc turbentur pectora nunquam

Vestra, Deo fidens, fidat & ille mihi.

Mansio multa mei Patris, & secus esset, id

ipsum

Dixissem: vobis vado parare locum.

Eo si vado parare locum, vos sumere mecum

Tunc veniam: mecum sitis ut inde mei.

Scitis ego quorsum vadam, locus ille parandus:

Ac omnes constat vos quoque scire viam.

Dicit ei Thomas Iesu nescimus utrumque:

Quò, simul & quimus quomodo scire viam?

At contra Iesus: ego sum via, veraque vita;

Ad patrem nisi per me quoque nemo venit.

Si me cognostis, patrem quoque nostis & ipsum:

Notum vidistis: scitis & inde patrem.

Sed contra dubius solvit sic labra Philippus:

Monstra, Christe, patrem, sufficit istud ait.

Dicit ei Iesus: vobiscum tempore tanto

Sum, nec nostis? me qui videt, ille patrem.

Non credis? quod ego, pater una sumus in uno:

Quod loquor, is loquitur, quod facioque facit.

In patre, credis? ego: pater in me, credere vultis

Non istis? propter, credite, facta mihi.

Ne

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017




EVANG.

CHRIST

HALL



Q2 C





B.I.G.

Farbkarte #13



IVITIARUM
GELICARUM
TIVALIUM

Disquisitio XIV
PRÆSIDE
IANO GUEINZIO
mnasii Hallensis

Rectore
Respondente
ANNE OLPIO
ngo-Saliffa Thur.
cto Philippi Jacobi.
A. O. R. cl. lbc. III.

LLIS SAXONUM
Hereditum Melchioris
Oelschlegell.

